



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capvano, Reginensi, & Panormitano Archiepiscopis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Romani Pontificis Lib. I. 9

duxerint proponenda diligentius veritate, tam principalem quam incidentes quaestiones, sublato appellationis obstaculo, sine canonico terminetis, facientes quod exinde duxeritis statuendum per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Si qua verò partium legitime citata praesentiam vestram adire, vel iudicio parere contempserit, vos nihilominus, quantum de jure poteritis, & probationes praesentis partis recipere & in causae cognitione ac decisione procedere non tardetis. Nullis literis obstantibus, si quae apparuerint praeter assensum partium à sede apost. impetrata. Quòd si omnes &c. Datum Lateran. ij. Nonas Feb.

P. BASILICAE XII. APOSTOLORVM
& B. Tituli sancti Petri ad vincula Presbyteris Card. ap. sedis Legatis.

CVM apostolica sedes quasi lucerna super candelabrum sit disposita, nec civitas possit abscondi, quae supra montem est constituta, nos, qui ei, licet immeriti, praesidemus, diligenter debemus cura satagere, quatenus luceat lux nostra coram hominibus, ut videntes opera nostra bona, glorificent patrem luminum, à quo bona cuncta procedunt. Nos enim debemus esse sal terrae. Quòd si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut foras emissum, ab hominibus conculcetur. Absit igitur à sedis apostolicae puritate, ut, cum Deus virgam peccatoris non dereliquerit super sortem iustorum, ad colligationes illicitas cum operantibus iniquitatem declinet: quin potius dissolvat colligationes impietatis, solvat fasciculos deprimentes. Sanè cum dilectus filius Prior sancti Fridiani nobis & fratribus nostris tractatum illum, quem cum Episcopis & Consulibus civitatum Thusciae habuistis, & verbis exposuisset, & ostendisset in scriptis, non modica sumus admiratio- ne commoti, cum forma colligationis hujusmodi in plerisque capitibus nec utilitatem contineat, nec sapiat honestatem. Immo cum Ducatus Thusciae ad jus & dominium Ecclesiae Rom. pertineat, sicut in privilegiis Ecclesiae Rom. oculata fide perspeximus contineri, nullam inter se sub nomine societatis colligationem facere debuissent, nisi salvo per omnia jure pariter & auctoritate sacrosanctae Rom. sedis, quae disponente

Domino cunctorum fidelium mater est & magistra. Cum & illud debuissent attendere, quòd infirmum erit penitus aedificium quod super hoc fundamentum non fuerit stabilitum. Quocirca discretionem vestram rogamus attentius, & exhortamur in Domino, quatenus, sicut viri prudentes & providi, ad profectum & honorem tam Ecclesiae Rom. quam Thusciae sollicitius intendatis. Et ut vobis nostrae voluntatis propositum elucescat, dilecto filio N. latori praesentium super his quae vobis ex parte nostra duxerit proponenda, indubitata fide credatis. Nos enim firmum gerimus in voto propositum, à quo nec mors nec vita nos poterit separare, fideles & devotos Ecclesiae de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta diligere, & contra malignas opprimentium insolentias apostolicae protectionis clypeo defendere. Datum Lateran.

CAPITULO S. ANASTASIAE.

EX illo singularis excellentiae privilegio quod unigenitus Dei filius IESUS CHRISTUS Apostolorum principi Petro concessit, sanctorum patrum postmodum instituta manarunt, ut majores causae ad sedem apostolicam perferrentur, quatenus quid super eis deberet statui, circumspècta ipsius responsio declararet. Cum igitur in Ecclesia vestra, quae sub obedientia sedis apostolicae perseverans, Graecorum haecenus & ritum servavit & linguam, per laicalem potentiam praeter nostram auctoritatem & electionem vestram non tam Latinus quam barbarus sit intrusus; Nos de fratrum nostrorum consilio intrusionem ipsam irritam decernentes, ne diutius pastoris solatio vestra careret Ecclesia, vobis humiliter postulantibus secundum statuta Canonum & antiquam ejusdem Ecclesiae consuetudinem liberam concedimus licentiam eligendi; per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus talem vobis in pastorem electione canonica praeferatis, qui non minus prodesse desideret & noverit, quam praesse. Datum Lateran. viij. Id. Februarij.

CAPVANO, REGINENSI,
& Panormitano Archiepiscopis.

His scriptam est in eundem serè modum ut supra, usque ad verbum il-

B

Epist. 16.
Super colligationibus factis cum Episcopis & Consulibus civitatum Thusciae.
Vide infra epist. 14. & 35. hujus libri.

Epist. 18.
Ut electus per potentiam laicalem intrusus cassetur, & alius de licentia apostolica deligatur.

Epist. 17.

10 Epistola-um Innocentij III.

lud eligendi. Vnde fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus ad hoc diligenti solitudine laboreris, ut dictus intrusus à memorata removeatur Ecclesia, & ab ipsius Capitulo electio possit in ea canonica libere celebrari. Datum Laterani V. Id. Februarij.

ILLVSTRI ROMANORVM Imperatrici semper Auguste.

Epist. 18.
Vt in ipsa electione impedimentum non praestet.

SI creditas tibi regendorum populorum habenas laudabiliter moderari desideras, & concessam tibi à Domino terrenae jurisdictionis potentiam benignius exercere, ei necesse habes ut servias, cui servire regnare est, & per quem gressus tui semper in melius dirigentur. Verum si eum tota intentione dilexeris, eam te oportet sollicitè venerari & conservare in statum debitae libertatis, sub cuius capite lava ejus, & quam dextera ejus (sicut in Canticis legitur) amplexatur, cuius zelus comedit eum, & injuria non modicum provocat ad vindictam. Cum autem ex illo singularis excellentiae privilegio &c. *ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum eligendi.* Ideoque serenitatem tuam rogamus, moneamus, & exhortamur in Domino, ac in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatenus nullius impedimenti obstaculum interponas, quò minus electionem possint canonicam celebrare, cum ad eum solum haberi debeat in electione respectus, cuius ministerio qui assumitur, alligatur. Datum Laterani V. Idus Februarij.

PARISIEN. EPISCOPO.

Epist. 19.
Vt liceat Presbytero Michaëli in sacerdotij officio ministrare, non obstant, quòd ad evitandum lepra periculum, virilia sibi fecit abscindi.
C. Ex parte. De corpore vitiat.

EX parte dilecti filij Michaëlis Presbyteri fuit in audientia nostra propositum, quòd cum sibi sentiret leprae periculum imminere, de consilio medici virilia sibi fecit abscindi, ut posset à tam gravis infirmitatis vitio liberari, & ut provideremus ei super executione sui officij, à nobis humiliter postulavit. Quoniam igitur canones sanctorum patrum hujusmodi à sacri altaris administratione non prohibent, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si rei veritas ita se habet, & memoratus Michaëli aliàs idoneus est, ut sui officij ministerium exequatur, nullius contradictione vel appellatione obstante, auctoritate fretus apostolica liberam ei tri-

buas facultatem. Datum Laterani iv. Idus Februarij.

EPISCOPO ET ABBATI S. Lupi Trecentis.

Accedens ad praesentiam nostram G. Presbyter lator praesentium tam relatione sua, quam literis quorundam Abbatum, nostro apostolatu demonstravit, quòd cum inter ipsum & quendam alium Clericum quaestio verteretur, & idem Clericus adversarius suus ad diem assignatam sibi ad praesentiam iudicum properaret, & fuisset in itinere interemptus, venerabilis frater noster Senonen. Archiepiscopus habens eundem Presbyterum suspectum super occisione Clerici memorati, licet contra illum nullus apparuerit legitimus accusator, & ipse paratus esset canonicè suam innocentiam demonstrare, in eum tamen suspensionis officij sententiam promulgavit. Quoniam igitur, sicut justum non est ut culpabiles absolvantur, sic esset à juris tramite alienum, si puniret iudicij severitas innocentes, discretioni vestrae praesentium auctoritate mandamus, quatenus si contra praedictum Presbyterum super homicidio legitimus non comparuerit accusator, & crimen notorium non existit, vos ab eo canonica purgatione recepta, latam in eum suspensionis sententiam de auctoritate sedis apostolicae relaxetis, nec permittatis eum super praedicto homicidio ulterius indebitè molestari. Si verò de homicidio confessus fuerit legitime vel convictus, vos ei, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, poenam canonicam infligatis. Quòd si ambo, tu frater Episcopè &c. Datum Laterani iv. Non. Februarij.

ARCHIEPISCOPO & Archid. Tranenfi.

Significantibus dilectis filiis Vestanen. Canonicis, nostris est auribus intimatum quòd cum Vestanen. Episcopus fuisset olim ab ipsis in praesentia Celestini bonae memoriae praedecessoris nostri super ecclesiastica dilapidatione conventus, & de causa ipsa extirisset plurimum disceptatum, ad transactionem de utriusque partis assensu postmodum venientes, promisit dictus Episcopus thesaurum Ecclesiae, videlicet capellam episcopalem quinquaginta uncias

Epist. 20.
Vt recepta à G. Presbyter. canonica purgatione de crimine homicidij sibi obiecto, ipsum absolvat, si legitimus accusator non comparuerit, & crimen notorium non existit.

Epist. 21.
Super transactione habita inter Episcopum & Canonicos Vestanenses, de quadam episcopali capella, & reliis aliis.